



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vsvardi Martyrologivm

Usuardus <Sangermanensis>

Lovanii, 1573

Capvt XII. De Græcis martyrologijs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42790

DE MARTYROLOGIIS,

Domino magna tibi cautela & solitudine commendatis? Tu sancte Paule gentium magister qui ab Hierusalem vsque ad Illyricum prædicasti Euangelium Dei, cognosce quid Gothica & Vandalica barbarie faciant hæretici, & filij tui gemunt lugendo. Vniuersique ingemiscite sancti simul pro nobis Apostoli. Sed scimus quia indignum est vobis, pro nobis orare, quia ista quæ venerunt nobis, non ad probationem, quomodo Sanctis, sed malis meritis supplicia debebantur: sed & pro malis orate iam filijs, quia & Christus orauit etiam pro inimicis Iudæis. Sufficiant castigationes quæ iuste illatae sunt nobis, & iam iamque delinquentibus * venia postuletur. Dicatur Angelo percutienti, Sufficit: iam cohibe manum tuam. Quis ignoret hæc probrorum nostrorum scelera procurasse, aberrantibus à mandatis Dei, & in lege eius nolentibus ambulare? Sed prostratirogamus, vt non spernatis vestros miseros peccatores per eum qui vos ad Apostolicum culmen prouexit humiles piscatores.

Delinquentes vocat eos qui deliquerunt. 2. reg. 24 c

CAPVT XII.

De Græcis martyrologijs.

Habent & Græci sua martyrologia. Nam in Græcorum horologio habentur ad singulos dies commemorationes Sanctorum, & orationes ad eos factæ, in ea nempe Horologij parte, quæ Menologium inscribitur, à menis, id est, mensibus, eò quòd secundum ordinem mensium de Sanctis totius anni in ea agatur. Vnde commemorationes Sanctorum in martyrologium transferuntur. Ipsius quoque Simeonis Metaphraste opus de San-

stis, non aliud est, quam prolixum martyrologium.

Et postremò Nicephori Callisti Xanthopulitaxis, sine synopsis de sanctis totius anni, secundum menses, Græcè habetur. Quæ Basileæ impressa est, cum Cyro Theodoro Prodromo, apud Ioan. Bebelium An. 36 fol. v 7.

CAPVT XIII.

De additionibus ad Vsuardum.

Nunc ex ordine dicendum est aliquid de additionibus ad Vsuardum. Cum enim Vsuardus non potuerit annotare Sanctos qui post sua tempora claruerunt: neque etiam omnes habeat qui ante eum fuerunt, ideo ut martyrologium Vsuardi plenius foret, aliunde eî quedam erant apponenda. Quæ autem ego illi apposui ex Veterum Scriptorum, aut diuersarum Ecclesiarum martyrologijs, aut Breuiarijs, ea magno quidem caractere, sed distincto ab Vsuardi verbis, & fere præmissa litera significatiua, imprimi curavi. Reliqua ex recentiorum collectaneis & aliunde, minimo caractere apposui, partim de Sanctis quos in nullo Ecclesiarum Martyrologio, aut Breuiario, inueneram: partim etiam de beatis, ut vocant quidam, siue beatæ memoriæ, hoc est, de ijs qui magna sanctitate hic claruerunt, in nulla tamen ecclesia eorum memoria celebratur: neque in Sanctorum numerum ascripti sunt. Cuius supplementi nostri plenam & copiosam rationem exprimit præfatio ad Lectorem, quam Vsuardo præmissi.

Tria autem obseruari velim in recentiorum collectis Martyrologijs. Primum, quòd multos sanctos non canonizatos, siue in nulla ecclesia celebres, cum canoni-